



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Episcopo Aversano.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

ILLVSTRI REGI ARAGONVM.

Epist. 114.
De Maximo
Frederico
Rege Siciliae.
Idem supra epist.

VT carissimus in Christo filius noster Fredericus Siciliae Rex illustris carissimam in Christo filiam nostram Constantiam sororem tuam, quondam Regiam Hungariae, ducat in conjugem, apostolicum impertimur assensum, & quod statutum est & concessum de duobus dotaliis, donationibus videlicet propter nuptias, approbamus. De tertio vero, quod est arbitrio nostro commissum, hoc tuae serenitati mandamus, quod media via duximus incedendum, ita videlicet ut secundum tenorem conventionum ceteris adimpletis, illud super hoc expectetur implendum quod nostra decreverit providentia, ipsi profecto negotio sine majoris expressionis indicio profutura. Quocirca tuam regalem prudentiam fideliter exhortamur sollicitè commones quatinus moras ulterius non innectens, ad consummationem hujus negotij studiosè procedas; quia longè majus quam hactenus tibi ostium est apertum. Datum Sorae VI. Idus Augusti, pontificatus nostri anno undecimo.

NOBILIBVS VIRIS RECTORIBVS,
Consulibus, Castellanis, civibus, aliisque
fidelibus nostris per Campaniam constitutis.

Epist. 115.
De nosstra re-
spicienda per
totam Campa-
niam.

CVM ex paucitate denariorum de Flore ac ponderatione ipsorum multa impedimenta proveniant, communi super hoc utilitati providere volentes, universitati vestrae praesentium auctoritate mandamus atque praecipimus quatinus passim de cetero tam in magnis commerciis quam in parvis nostram recipiatis monetam, quae vulgò dicitur de senatu, & per totam Campaniam recipi faciatis, inhibentes districtius ut denarij de Flore amodo non ponderentur ab aliquo, nec pro mercimoniis exigantur. Si quis autem eos exigere vel ponderare praesumpserit, quadraginta solidos curiae nostrae pro poena persolvat. Quicumque vero debet denarios censuales, pro duodecim de Flore reddat sedecim de senatu. Datum Sorae Nonis Augusti, pontificatus nostri anno undecimo.

EPISCOPO AVERSANO.

Epist. 116.
Mandatum de
pina praeben-
da vacante.

CVM in Ecclesia tua beneficium non vacaret ad praesens quod dilecto filio S. Acolyto nostro posses conferre, pollicitus es eidem quod primum in eadem Ecclesia vacans beneficium assignare volebas; quod cum ad nostram notitiam

pervenisset, fecimus tibi proponi ut praebendale beneficium primum in tua Ecclesia vacaturam reservares donationi nostrae, personae idoneae conferendum, quod tu liberaliter acceptasti. Quocirca fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus quatenus primum praebendale beneficium quod in tua vacabit Ecclesia donationi nostrae studeas reservare. Datum apud sanctum Germanum VIII. Kalend. Augusti, pontificatus nostri anno undecimo.

ABBATI ET CLERICIS
sanctae Mariae de Flumine de Ceccano.

Epist. 117.
De confirma-
tione privile-
giorum.
Vide 10. 1. Ital.
fac. pag. 725.
Epist. 1. append.
pag. 481.

IVLIS petentium desideriis &c. usque inclinati, personas vestras & Ecclesiam sanctae Mariae de Flumine, in qua divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis tam ecclesiasticis quam mundanis quae in praesentiarum rationabiliter possidetis &c. usque suscipimus. Specialiter autem sancti Stephani & sancti Quirici Ecclesias cum omnibus tenementis & pertinentiis suis, forestam juxta Ecclesiam sancti Stephani, & de capite pontis de Prato & de Gineis, molendina, vineas juxta Ecclesiam ipsam, & aliam quam emistis in loco qui appellatur Marana, redditus, decimas, oblationes, homines, hortos, & possessiones alias ad vestram Ecclesiam pertinentes, sicut eas justè ac pacificè possidetis, vobis & per vos eidem Ecclesiae auctoritate apostolica confirmamus & praesentis scripti patrocinio communitimus. Libertates quoque & immunitates necnon & exemptiones secularium exactionum à dilecto filio nobili viro Iohanne de Ceccano tam pie quam providè vobis & Ecclesiae vestrae concessas, sicut in ejusdem nobilis authentico perspeximus contineri, ratas habemus, & eas perpetuis temporibus illibatas decernimus permanere. Cujus tenorem de verbo ad verbum praesenti paginae duximus inferendum. **IN NOMINE DOMINI.** Anno dominicae incarnationis M. C. nonagesimo sexto, pontificatus Domini Caestini tertij Papae anno sexto, Indictione XIV. mense Julij, die vigesimo quarto. Hac die ego Iohannes de Ceccano in praesentia Domini Iordani Cardinalis sanctae Pudentianae carissimi patris mei & venerabilium Episcoporum Berardi Ferentinatis, & Petri Signini, & Iohannis Anagnini, & Taddaei Alatrini, & Oddonis Verulani, & Thedelegarij Terracinenfis, & multorum hominum totius Campaniae & Ma-

ritinæ tam Clericorum quàm etiam laicorum, inductus amore divino, & pro redemptione animæ meæ atque meorum parentum præteritorum, præsentium, & futurorum, concedo Ecclesiæ sanctæ Mariæ de Flumine & Domino Landulpho dilecto Abbati ejusdem Ecclesiæ & universæ familiæ ejus, tam Clericis quàm etiam laicis præsentibus & futuris plenam & perpetuam libertatem, abrenuntiando datæ, malo usui, & omnibus exactionibus. Et si quis pro quocunque crimine commisso ad Ecclesiam istam confugerit, nec ego nec successores mei per me vel per ministros meos ei, dum ibidem fuerit, violentiam aliquam nec injuriam inferemus, nisi in mortem meam, meorum heredum, vel in prodicionem castrorum meorum, vel in combustionem ipsorum castrorum fuerit machinatus. De ordinatione Clericorum & destitutione me nullatenus intromittam. Si verò Clericus aut laicus ejusdem Ecclesiæ in aliquando offenderit, Abbas cum Clericis in eorum Capitulo cogent ipsum ad justitiam exhibendam. Salvo jure patronatus. De consilio igitur communi Domini Iordani Cardinalis & omnium Episcoporum & consensu Domini Iohannis de Ceccano institutum est ut quicumque contra hanc concessionem fecerit, vinculo anathematis innodetur, & partem cum Dathan & Abiron habeat. Ad majorem itaque cautelam, ne quod factum est diuturnitate temporis in oblivionem veniat, Presbytero Benedicto dilecto Notario nostro id scribere mandavimus, & chartam ipsam fecimus sigilli nostri munimine insigniri. Nulli ergo &c. nostræ protectionis & confirmationis &c. Si quis autem &c. Datum Soræ xiv. Kal. Septembris, pontificatus nostri an. undecimo.

TRECENSI EPISCOPO.

^{Epist. 118.}
Scribitur ad-
versus Canoni-
cos S. Martini
Trec.

Diligenter auditis & perspicaciter intellectis depositionibus testium qui de mandato nostro in causa quæ inter dilectum filium P. electum ex parte una & V. Ia. Io. & A. Canonicos Ecclesiæ sancti Martini Trecensis ex altera vertebatur fuere recepti, de fratrum nostrorum consilio eundem electum ab impetitione ipsorum duximus absolvendum, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandantes quatenus electo præfato ut super labe simoniæ pravitatis, quæ illi objecta extiterat, cum tertia manu sui ordinis se canonicè purget, indicas, & eidem purgato facias à Canonicis omnibus obedientiam

& reverentiam debitam exhiberi, contra dictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Canonicos verò præfatos, quos fuisse constat contra eundem electum multipliciter malignatos, sicut etiam quidam eorum sponte confessi sunt coram nobis, ab invicem dividas, & ad agendum poenitentiam in aliis monasteriis ponas eos, singulos in singulis collocando, ut Ecclesia memorata, quæ per insolentiam eorundem graviter est afflictæ, valeat respirare. Datum Soræ xv. Kal. Septembris pontificatus nostri anno undecimo.

IOHANNI DE CARBONE
ac Benedicto fratribus.

Istis petentium desiderijs &c. usque comple. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris justis precibus inclinati, permutationem inter dilectos filios Roffridum tituli sanctorum Marcellini & Petri Presbyterum Cardinalem Abbatem & conventum Casinensem ex parte una & vos ex altera super quibusdam hominibus quos carissimus in Christo filius noster Fredericus Siciliæ Rex illustris tibi, fili Iohannes, & heredibus tuis in castro Plumberolæ concesserat, pro quibus in territorio dicti castri præfati Abbas & monachi vobis quandam startiam concesserunt, rationabiliter factam, sicut sine pravitare providè facta est & ab utraque parte sponte recepta, & in instrumento exinde confecto plenius continetur, auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Ad majorem autem evidentiam instrumentum ipsum de verbo ad verbum huic nostræ paginæ duximus inferendum. IN NOMINE DOMINI nostri Iesu Christi. Anno incarnationis ejus millesimo ducentesimo octavo, & undecime anno regni Domini nostri Frederici gloriosissimi Regis, mensis Iulij, octavo decimo die ejusdem mensis, Indictione xi. Profitemur nos Roffridus Dei gratia Cardinalis & Casinensis Abbas recepisse in mandatis à supradicto Domino nostro Frederico Dei gratia illustrissimo Rege ut homines & redditus quos regia curia olim tenuerat in castro nostro Plumberolæ, quos videlicet ex concessione ejusdem curiæ Iohannes de Ariano aliquando tenuit, casatam scilicet Diaconi Iohannis Guinisi cum familia sua, casatam Iohannis Petri Guinisi, casatam Leonardi Guinisi, casatam Roffridi Iohannis Boni, casatam Riccardi Iohannis

Epist. 119.
Confirmatio
permutatio facta inter curiam
monasterii
Casinensis.